



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VII. Consistorialis confessionis notabilis historia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

ad salutare illud pabulū Cœnæ Dominicę diligenter se prepararent, & quæ par est modestia venient omni vestitiū, ac præcipue cycladū instar vañi patentiū luxu deposito, in ipsa vero Cœnæ administratione cuius vxorem vidisset insolentius vestitam, accedentem; accepta in sinistram panis quam ei porrecturus erat buccella, ad alteram mensæ partem absecessit dextraque leviter impulsam facessere iussit. Id conspicatus maritus, vehementer ex candescens, Ministrum in cathedram ascensurum calce impetijt. Ibi mox Seniores ac reliqui consurrexerunt, & pugnis misere contusum, cœtu eiecerunt. Femina vero illa deinde mœrore contabuit. Ecce tibi Consistorialis huius disciplinæ fructus! Nihil hic etiam frequentius, quàm Ministrorum de non solutis stipendijs querelæ quam ob causam non pauci Sacramentis priuantur, quæ ad Ministerij sustentationem contribuere aliquid recusantibus negare, in Ministrorum est potestate. Ad hanc ergo Cœnam qui accedere vult, necesse est vt symbolam prius conferat.

V. Admonitiones vero atque obiurgationes quæ in hisce Consistorijs erga criminis alicuius delatos adhibentur, leues admodum sunt & superficialiæ; quum contra quibus in Catholica Ecclesia vtuntur sacerdotes, in intima pectoris descendunt, ac vera inde suspicia, nec non læpe ex oculis lachrymas eliciant. Quid mirum ergo, apud illos è peccatorum cœno plerosque emergere non posse? Si enim cæcum sit Consistorium aut connueat, quis viam erranti monstrabit? Maxima quæ hic arguuntur peccata sunt; si quis Catholicorum templum ingressus, vel concionem audierit, vel Missa interfuerit. Hæc enim delicta præcipue publica pœnitentia expianda sunt. Quum aliquando in Burdigalensem hanc urbem diuertisset regis nostri soror, Minister quidam ex eius comitatu ædem S. Andreæ sacram curiositate quadam ingressus, notum sibi hominē heteroelytum, nec Catholicum nec Calvinianū, Cassandri tamē opinionim magis additū, in angulo cuiusdam sacelli genibus innixū conspexit. Digressus inde ad Consistorium, hominem statim citari iubet, ac coram eieperat. Ecquid te pudet, inquit? Numquid ego te heri in Papistico vidi templo? Tum alter, Si me vidisti, inquit: ergo & tu ibidem fuisti. Ille, Fateor ait; sed nullas ibi preces ego fudi. Equidē, respondit alter, nescieram, peccare eos qui precantur. Hæc nota sunt, præ illis quæ sequuntur.

VI. Memini vidisse me viduam, violatæ pudici-

tiæ in Consistorio accusatam. Factum illa negare non poterat, vitium temere ventris prodente. Facta ergo remissa Consistorio, inde ad frequentem cœtum educitur, & infra cathedram stans publice peccatum suum ipsa detestari & veniam petere iubetur. Ex templo inde egressa falsa illa Magdalena innumeros fere spectatores habuit; huncque tandem ex hac pœnitentia fructum cepit, quod in reformatâ hac sua viduitate tres adhuc partus enixa est. O dignos tali pœnitentia fructus! Equidem non sanare, sed perdere hoc fuit. Quid peccatum occultum in lucem protrahere, illamque miseram prostituere quàm attinebat? Sed mitius aliquantocum magnatibus agitur, quorum pœnitentia, nomine tantum, non crimine expresso, populo à Ministro indicatur, eiusque nomine venia imploratur. Tædiosum sit plura huius generis hic cōgere. Vnum tamen adhuc addam, tanto magis notatu dignum, quod grauissima inde lis exorta, & in ea Curia nostræ audientia quam Tournellam vocant, coram me eiusdem Præside, agitata est.

VII. Præfectus oppidi Castillonij in Petrocorijs vt vxoris zelotypiam & vindictæ cupiditatem aliquo modo expleret (sic enim mihi ipse factus est) ex Senioris cuiusdam consilio in Consistorio Paschatis iam instante festo, aperte professus est, bona conscientia ad Cœnam accedere se non posse, quod cum femina maritata, quæ & ipsa cœtui adscripta erat, adulterium commisisset. Ex Consistorialium Patrum decreto vocatur Mulier, Marito qui rem omnem hæcenus ad eam horam ignorarat, miserabiliter quiritante. Citata illa ad Consistorium, auxilium à Curia petijt, & iustitiam contra iniuriam imploiat, vnâ cum marito. Ad Curiam vocatus Præfectus causatur, causam hanc ad conscientiam ac religionem pertinere, de qua nemini nisi Deo & Pastori suo rationem reddere teneatur. Quod si peccarit, peccasse se contra religionis suæ leges, quæ peccata eiusmodi non iudici, sed Consistorio revelare iubeant. Idque se à Ministris Senioribus facere iustum, maluisse conscientia suæ quam mulieris istius honori consulere. Quod nisi fecerit, non posse se integra conscientia Cœnam Domini percipere. Rogare ergo vt causa ista ad ecclesiam & Consistorium tamquam competentem iudicem remittatur. Contra misera illa, meram hanc & à suis ac mariti inimicis confictam calumniam esse demonstrat. Quod si hæcenus causæ eiusmodi in Con-

stituto.

istorio disceptata sint, vitio id factum: neque ab-
usum hunc fraudi sibi esse debere. Re diu multum-
que magnis verimque causidicorum studijs non
sine Reformationis summo dedecore, agitata, à
Curia decretum fuit, non obstante quacumque
exceptione, Præfectum iudicio se sistere, simulque
Ministrum cum duobus senioribus ad interrogata
respondere debere. Tum vero omnis deformata,
multum tum pollens, Galliarum pars Præfecti patro-
cinium suscipere, de iniuria coram rege expostu-
lare, quod scilicet Curia regulas ipsorum religio-
ni præscribere auderet. Quid multis? Res ad pri-
uarum Consilium à rege reuocata tandem omnino
Consistorialium fratrum studio suppressa est.
Huic facto plane germanum est illud quod in
Sanctionibus accidit: vbi Augeaci toparcha, vt ra-
biem vxoris contra pellicem expleret, pro concio-
ne venustam iuuenulam nominauit, cum qua re
habuisset; quæ ex hac occasione libidinosa iuuen-
tuti, sollicitè eiusmodi feras venanti, præda dein-
de fuit. Quod si omnia eiusmodi exempla quæ in
Gallia nostra contigerunt, congerere huc velim;
equidem non Caput, sed ingens volumen conscri-
pturus sim. Ex paucis his tamen Lectori facile erit
de ceteris iudicium ferre. Iam ad ea quæ restant
pergamus.

VIII. Genæ civilis magistratus quoque Con-
sistorio interest, vnde sæpe criminales actiones
reis deinde intentantur. Quis tale Consistorium
Hispanica Inquisitione nocentius esse neget? In
Gallijs, post Edictum quod à Ianuario vocant, pro-
mulgarum, regijs Officiarijs aditus permissus fuit,
tam ad actiones melius elucidandas, quam impe-
diendum ne quid contra regis auctoritatem reg-
nique vtilitatem fieret. At seruitute hac liberata
postea Consistoria, non amplius rerum ad religio-
nem, sed ab bellum potius eiusque gereudi ratio-
nes pertinentium disceptationi inseruiuerunt. In
his enim pacis ac belli consilia procusa, in his con-
spiraciones factæ sunt; ex his schismata, rebello-
nes ac seditiones, tamquam ex equo Troiano pro-
dierunt quæ omnia suaves isti homines Reipublice
negocia appellant. In his colliguntur numi, decer-
nuntur delectus, distribuuntur prouinciæ, consti-
tuuntur duces, vt paucis dicam, nihil aliud sunt
hæc Consistoria quam seditionis fomites, tubæ
belli, omniumque malorum incudes, vt in quibus
etiam de Regibus ac Principibus in ordinem re-
digendis consilia suscipiuntur. Anno M. D. L-
XXVII. literæ à Beza ad Aquitaniarum Ministros

scriptæ, interceptæ sunt, quibus eos monebat, da-
rent operam, ne in ciuitates suas, velut liberæ, ad in-
suar Rupellenfis illius conformatas Respublicas, vlli du-
ces aut Præfecti, nisi à Consistorio & Synodo approbati
reciperentur. Sed Consistorijs istis multum de pri-
stino splendore decessit. Vt enim olim in coop-
tandis collegis nimis morosi erant; ita iam vltro
quoscumque prensant, & si è Nobilitate quis in-
teresse velit, honori id sibi ducunt. In his etiam
plaustra querelarum plerumque congeruntur. Est
enim istorum hominum mos, vt quum male alios
tractent, male tamen ab alijs tractari se conque-
rantur, ac veteres iniurias non modo non emen-
dent, sed nouis etiam cumulent. O pulcrum Cal-
uini Reformationem! qui vnà cum puluisculo au-
ricularum Confessionem omnino expurgauit:
quæ tamen mors diaboli, & peccati est exter-
minatio. Cur tibi odiosum ac suspectum est, quod
ab omni antiquitate semper fuit vsurpatum? (a)
Ridicule enim, immo impie ineptus est centonum
ille confarcinator, qui proximis trecentis annis
Confessionem hanc in Ecclesia primum vtitari
cepisse ait. S. Augustinus inquit, Non satis esse Deo
confiteri, sed rogandum esse sacerdotem, conscientiamque
penitus esse denudandam atque exonerandam. S. Basi-
lius his peccata confiteri necessarium esse dicit, quibus
diuinorum dispensatio mysteriorum commissa est. Qui
enim perfectam agere volebant penitentiam,
peccata sua sanctis confitebantur. Et in Euangelio
scriptum legimus, populum S. Ioannis Baptiste, in A-
gus vero baptizatos Apostolis peccata sua confessos esse.
Quod si, Caluine, auricularis hæc Confessio tibi
non placet, cur non illam saltim, quæ in rifica Eccle-
sia vtitari fuisse non ignoras restituis, vt animi sui
iteriora omnibus quisque sordibus expurget?
Confessione sane publicæ auricularem olim tem-
pore Nestorij Constantinopolitani Episcopi iun-
ctam fuisse, negari non potest (b) Equidem & hoc
te non latet quanta incommoda ac scandala ex
publica illa Confessione nasci soleant, eo potissi-
mum quod homines maxime verecundi suam ipsi
turpitudinem reuelare non sustineant, sicque à pen-
nitentia absterreantur, & plena peccatorum ex-
piatione defraudentur. Recte ergo ac sapienter in
priuata hac Confessione Ecclesia acquiescit, quæ
tuus

a S. Dion. epist. ad Demoph. S. Cyrill. lib. 3. in Leuit.
S. Cypr. Ser. de lapsis. S. Aug. com. 10. serm. 50. S. Chry-
sost. in Matt. hom. 3. Orig. in Ps. 33. b Hist. trip. lib. 9. cap.
25.